

29.

# DAVIDI RHENISCHIO

DOCTRINA VARIA, ET LEGUM  
Sacrarum cognitione perinfigni;

OBSINGULARE ACUMEN  
ingenii, de bono Patriæ publico, operâ suâ pro-  
movendo & ornando, cujus gratia  
Academias lustrârat,  
erecto:

POSUERUNT

ॐ (:) ॐ

Ex Officina Typogr. Abrahami Lambergi,  
ANNO M. DC. XXIV.



**V**ita est incerta citò & pede labitur ætas!  
 Nec juveni imberbi parcere fata solent!  
 Hocce suo exemplo R H E N I S C H I U S approbat,  
 Gloria *Masarum*, & delictumq; *patrís*. (ingens  
 Dum vigil assiduâ dextrâ sacrata revolvit  
 Jura, quibus clarum nomen ad astra vehat:

En Lachesis vitæ citò rumpit stamina; flore  
 In medio ætatis, heu dolor, ipse cadit.  
 Ast, Reverende parens, nimio tu parce dolori:  
 Filius haud periit: vivit at arce poli.

*Christophorus Preibisius I.V.D.  
 Professor publ. Lips.*

**M**ors una & certa est, moriendi mille figuræ,  
 In varios casus nos, quia fata vocant.  
 Ille vel in latebris maternæ confitus alvi  
 In medio vitæ, flore sed ille perit.  
 Hunc Mars, hunc Nereus, hunc pestilis enecat aura,  
 Hic phthisis, hic febris, morbida membra trahit.  
 Vita datur nobis sine fœnore mutua, certo  
 Nec solvenda die, nec soluenda modo.  
 Principium ut vitæ nostræ, sic terminus ejus,  
 A nutu pendet, statq; cuiq; Dei.  
 Hoc duce R H E N I S I U S, postquam decursa laborum  
 Sunt spatia, excedit destituitq; locum.  
 In laude exacta est laudatq; terminat ætas,  
 Pro terris cælum morte solutus adit.  
 Hoc se solentur domus, hoc mœstiq; parentes,  
 In luctu quotquot ponit amicitia.  
 Nos manet in mundo mortis nil certius hora,  
 Lugenda haud veniens quando beata venit.

*Pie συμπαθείας, ergò*

*Lipsiæ scribebat,*

*Thomas VVeinrich SS. Theol. LicentiatuS,  
 Archidiaconus ad D. Nicol.  
 ibidem.*



537337



**F**Vnera dilecti mater quid funera Nati  
 Desles, hunc physi quid cecidisse doles?  
 Nil profunt lacrymæ sibi nil lacrymabile poscit,  
 Gaudia perpetuæ qui modo lucis habet.  
 Ferre velis homini quod fert divina voluntas,  
 Quæ venit à Domino pœna, ferenda venit.  
 Hunc siquidem tanto Deus est complexus amore,  
 In cuius verbo spesq; animusq; fuit.  
 Ocyus ut vitæ fineret morte labores,  
 Jam jam venturis præripereq; malis.  
 O tefelicem, ò te terq; quaterq; beatum,  
 Tam citò qui cœli fulgida tecta petis!  
 Illic jam tacitam perfundunt gaudia mentem,  
 Finit vbi festos vespera nulla dies.  
 O vitam verè vitam! quam sanguine nobis  
 Promeruit soboles indubitata Dei.  
 In qua cuncta Deus replens te fundis in omnes,  
 Aspectuq; tuo das sine fine frui.  
 Cujus non vllis patuerunt regna profanis,  
 Regna malis semper clausa, reclusa bonis.  
 Membra vbi non morbi, non vexant pectora curæ,  
 Sæva vbi nil sævæ tela timenda necis.  
 Vivendo hic morimur, moriendo vivimus, inde  
 Non nisi per lacrymas viraq; morsq; subit.  
 Qui sapias hæc mundi mundanis regna relinque,  
 Dummodo parta tibi vita petita, sat est.

F. Lipsia

Iohannes Heintzius Phil. & Med. D. Anat. Prof.

**V**Ita fugit celeri passu, Mors advolat atra,  
 Sub leges cunctos & jubet ire suas.  
 Hinc Senis ante fores stat, pulsat, & abripit illum:  
 Sed juveni technas mille parare solet.  
 Scilicet hoc meruit primævi noxa Parentis,  
 Dum fructus vetitos carpere non metuit.  
 Hæc, reverende tibi præco, nunc mente revolve,  
 Dum Gnati desles funera acerba tui.

Offa

Offa quidem illius gremio sunt credita terræ,  
 Sed mens æthereas incolit ipsa domos.

Condolentia ergò deproperabat

M. Nicolaus Lipsia, Prof. publ. in Acad. Lips.

Ad Reverendum & Clariss. Theologum,  
 Dn. DAVIDEM RHENISIUM  
 Ecclesiasten & Professore Vratislaviensem, lugentem  
 Filij primogeniti in exteris obitum.

**Q**Uod tria Theiologum, *Meditari, Orare, Probare,*  
 Perficiant, crebro, *Dive Lutherè,* doces.  
 Ex his, RHENISI, quamvis *meditata precesq;*  
 Clarum & honoratum Te vndiq; reddiderint.  
 Et vario fueris *tentamine sæpe probatus:*  
 JHOVA tamen casu jam graviore probat,  
 Discendi studio peregrinas *Filius* oras  
 Lustrans, præproperâ dum Tibi morte cadit,  
 Difficile est, fateor, tantum perferre dolorem,  
 Sed facilis fiet si intueâre DEUM.  
 Ejus enim in manibus cum mors sita vitaq; nostra  
 Vitam, *vbi, quando* placet, eripuisse potest.  
 Et licet in patriâ cuncti malimus obire;  
 Et nostris coram dicere triste *Vale:*  
 Par via soletur quæ à terrâ ad sidera vbiq; est;  
 Nil quicquam ut referat quo moriâre loco.  
 Pro tristiq; *Vale,* quod erat dixisse negatum hic;  
 Quod lætum *Salve* dicere tum dabitur.  
 Cùm nos summa dies iterum conjunget Olympo,  
 Perpetem ut ad vitam, sic quoq; lætities.  
 Adde, quod hoc obitu Tibi mortem aliquando caducam  
 JHOVA minus voluit reddere difficilem;  
 Dum desiderium soboles dilecta movebit,  
 Quæ præmissa *Patrem* expectat ad ora DEI.  
 Verùm ceu melius nosti *Pater,* omnia; praxiq;  
 Exprime, utut *praxi hæc nulla fiet* gravior.

A 3

Inq;



Inq; Dei obsequium justum moderare dolorem,  
Grex tuus exemplum quò capere inde queat;  
Atq; pares discat pariter perferre dolores,  
Qui tanto in cœtu haud rari adeò esse solent.

*In honorem & solarium Dn. Præceptorū quondam  
sui meritis. Jac. ager Lipsia.*

*M. Iohannes Hartranst, Facult.  
Philos. ibid. Assessor.*

Umbra piè Denati  
Parentes mœstissimos alloquitur.

**Q**uid quereris genitor? mea quid dulcissima mater  
Luges? quid resonas fletibus ipsa domus?

Anne quod ante diem vitam cum morte fugacem  
Mutârim, lacrymis sic maduere genæ?

An procul à patriis quod mors me hinc sustulit oris  
Viventem, tantos pectora dant gemitus?

Ah vanis certè torquetis pectora vœstra  
Curis: mors non mors si facit illa mea.

Fas erat hic potius lætos diffundere vultus,  
Nunc ego cum positus sim meliore loco:

Nam mea mens cœli pervenit ad atria celsi  
Aspectu fruitur colloquioq; Dei.

Et Christus cui vixi me in sua regna vocavit,  
Angelicos inter nunc ubi vivo chœros.

Sunt ubi deliciæ æternæ, sunt gaudia larga,  
Omnis ubi mœror, fletus & omnis abest.

Hinc bona & hinc grata est hæc permutatio vitæ,  
Quâ Christo vivo, mors mihi facta lucrum.

Ergò ne lacrymis nimium indulgete Parentes.  
Sistite nunc curis tandem aliquando modum.

Atq; meum lacrymis cessate onerare sepulcrum,  
Quod mecum pietas, quod juberet alma fides.

*Debita συγκαθείας ἐπέγραψεν Lipsia introducta,*

*à M. Balthasare Hilschero, SS. Theol. Baccal.  
Facult. Phil. Asses. & Colleg. Princip. Collega.*

*Siccine,*

**S**iccine, quos lætat, miseros spes fallit inanis?  
Quod modò promisit, denegat illa citò.  
Spes erat, incolumem Patriæ visura quòd ora  
Esset te, multis hinc fruitura bonis.  
Nam corpus vegetum, vires & mentis acutæ,  
Undiq; spem poterant conciliare bonam.  
Nec mora; spem tantam gnavus conamine jugi,  
Tentabas studiis continuare tuis.  
Promachus in gemina vidi persæpè palæstra  
Ingenii vires, non sine laude, tui.  
Sed nimis est fallax hominum spes; unica mortis,  
Ungula tot nobis eripit, ecce! bona.  
O dolor, ô lacrymæ! funesto schemate scripti,  
Mortuus ad nostra hæc jam tilieta redis!  
Verum quid lacrymæ? lacrymis nil proficit ullus,  
Quod Domino placuit, cur mihi displiceat?

*Lubens lugens F. Lipsia*

*M. Bartholomæus Wedd/ SS. Theol. Baccal.  
Gymnasii Islebiensis Rector designatus.*

**B**Resla tibi cunas, dedit extera terra sepulcrum,  
RHENISI; nutu non tamen absq; DEI,  
Te flemus Juvenem: sed casu liber ab omni,  
Me cruciat, mœstum nil nisi Carmen, ais:  
Terra dedit curas; cœli dant limina CHRISTUM:  
Vivere quid profit; quid noceatvè mori?  
Me procul amplexu cari caræq; Parentis,  
Nunc tumulat gelido dissita terra sinu:  
Non tamen amplexu CHRISTI procul: inde dolorem  
Sistite; jo, cœli regna beata colo.  
Donec lux redeat (resonent mea Carmina) Fratri  
Defuncti cineres molliter usq; cubant.

*Hoc quaecumq; condolentia signum,  
non sine affectu apposui*

*M. Iohan Haman Hirschbergâ- Sil.*

Tam



Tam celeri cursu Ponti non volvitur vnda,  
 Tam citò nec somni vertit imago fugam;  
 Nec rosatam subitò, viridi quæ vernat in agro,  
 Inclinat moriens solibus icta caput:  
 Quàm citò prætereant humanæ tempora vitæ,  
 Et properet rapido mors truculenta pede.  
 Isthoc nostrorum testatur vita parentum,  
 Et nunc egregiè denotat ista dies,  
 Quà RHENISCH peregras nuper transmissus in oras,  
 in celebri ponit debile corpus humo.  
 Quid? fuit in Fatis, illum sic Fata trahebant,  
 Displiceat nulli, quod PIA FATA volunt.

*Adam Newdorff Siles.*

FAs non est, Genitor, longo indulgere dolori,  
 Non est, ò mater, fas mea fata queri.  
 Sanctio sic fati decrevit iusta latentis,  
 (Quod Jovæ placitum est) ut juvenis morerer.  
 Sum placitum hoc Jovæ placidè sectatus; & æquum,  
 Ut placeant vobis, quæ placuere Deo.  
 Quid fletis fratres, soror, affinisq; miselli  
 Lugendi. Sed ego jam miser esse vector.  
 O pater, ò genitrix, vestrum premitote dolorem;  
 Nec quicquam is vobis, nec mihi profuerit.  
 Cessate à lacrymis vos ò mihi sanguine junctis;  
 Mors mihi non mors est, vita sed & requies.  
 Hospes in hac tellure fui: nunc sede potitus  
 Æterna, campis versor in Elysiis.  
 Corpus humo rectum est: animam sed patria servat  
 Cælum, quod votis omnibus expetitis.  
 Illo prædulci jam felix vescor odoræ  
 Ambrosiæ succo, melleq; Nectareo.

*Joachimus Rampusch Vratisl. Siles.*

Quotquot humo nati, tot humo debentur humandi,  
 Omnia vietricis sub juga mortis eunt.

Eripit

Eripit hinc patribus natos, natisq; parentes,  
 Et sternit cunctos morstruculenta viros.  
 Nil hic efficiunt matrum, patrumq; quereia,  
 Nil faciunt splendor, nil juvenile decus.  
 Omnibus ast miseris vitam mors omnibus aufert,  
 Qui possit mortem tollere, nemo datur.  
 Tale quid expertus nuper RHENISCHUS, ipse,  
 Suaviolum Matris delictumq; Patris.  
 Occidit ætatis medio sub flore virili  
 Cum sibi, cum patriæ, vivere debuerat.  
 Spes erat, (heu fatum!) si vita fuisset, honorum  
 Ire per insignes hunc potuisse gradus.  
 O duram legem, quam non sua flectere virtus,  
 Nec pietas potuit, nec vigor ingenii.  
 Dignus erat longos, ageret qui Nestoris annos,  
 Dignus, perpetuum, qui superesset, erat.  
 Verùm sic Domino placuit, divina voluntas  
 Hunc iussit summum claudere in orbe diem.  
 Cur igitur gemitus tantos, suspiria tanta  
 Mittis chare parens? hoc placuit Domino.  
 Ergò si Domino placuit, placeatq; subinde  
 Hoc dirum fatum, vir venerande tibi.  
 Excute magnanimo conceptum pectore luctum,  
 Et mortem nati desine flere tui.  
 Est expectandum nobis quod contigit illi  
 Omnia sub leges mors jubet ire suas.  
 Hoc tamen ad tumulum geme: Dilectissime Nate,  
 Sit tibi vera quies, ultima læta dies.  
 Hisce tuis votis mea nunc suspiria jungo,  
 Et precor ut vivat, spiritus ante Deum.

*Debita condolentia ergo  
 facieb.*

*Affini pie defuncti,*

*Henricus Brusky Vratisl.*

*LL. Stud.*

B

Defun-



Defunctus loquens introducitur.

**N**ulla valet ratio necis atræ vincere fatum,  
 Est cuivis somni mors obeunda soror.  
 Maxima sed restant certò solamina nobis,  
 Quòd mors æternum non jugulare potest:  
 Destruxit nam morte suâ vim mortis acerbæ  
 Christus: ita ut tantum mortis imago fier:  
 Hæc aliud nil, quàm somnus: nil quàmve dolorum  
 Grande levamen: nil est nisi ad astra via.  
 Hactenus in terris fuerat mihi plena doloris  
 Vita, querelarum plena, repleta malis.  
 Nunc dolor omnis abest, sanum nunc flebile corpus,  
 Terra capit cineres: Spiritus astra tenet.  
 Ergò Parens, Materq; precor, seponite luctum,  
 Filius in Christi vivit ovatq; sinu.  
 Me Deus abstulit, & Deus in sua regna recepit,  
 Gratia sit Jovæ maxima: Munde vale.

*Vera συμπάθεια, ergò F.*

*Matthias Valenta Titichinio-Moravus,  
 Schola Nicolaitana Cantor Lipsie.*

**E**st hominum similis nocturnæ vita Dianæ  
 Dum brevis huic, illi longior, esse solet:  
 Cynthia luce suâ veluti magis ardua fulget,  
 Dum pleno cornu volvit in astra caput.  
 Decrescens subito primas effœta resumit  
 Formas, & subter fessâ quiescit humo.  
 Viribus ætatem solidis sic roborat Hebe,  
 Dum vernat roseus sanguis ab ore, viri:  
 Tum radios famæ clarantis, porrigit orbi  
 Aurea tum virtus, laude cluere cupit.  
 Illicet ast ubi mens, lux corporis illa, recessit  
 Mox fumus, funus, nobile corpus erit:  
 Primæ vasq; pices, massamq; resumit avitam,  
 Corporis in cineres solvitur ipse cinis.

Extia.

Extinctum funus, funus lacrymabile, manes  
 RHEINISI, virtus, priscaq; vita docet.  
 Huic molles anni, floresq; fuere juventa,  
 Flammabant roscos (suavè) pudore genæ.  
 Nemini & virtus tales redolebat honores,  
 Quales in celsâ fraxinus Alpe cupit.  
 Verum non potuit famâ, non laude, pacisci  
 Perpetuam interitus, non pietate moram.  
 Illâ namq; die, quâ se lux ultima Juli  
 Mensis, in occiduas præcipitavit aquas:  
 Atropos huic præceps concessi stamina pensi  
 Disrupit, dulces præripuitq; dies.  
 Ergò Lipsidos hunc Nymphæ flevere peremtum,  
 Argyropes & quæ moenia clara colunt.  
 Et quidni planctu manes deslere liceret?  
 Nestora tristæclum vivere dignus erat.  
 Felices sed flere nefas, quæis lumine functis  
 Obtigit æternæ, vita beata, domus.  
 O genitor! genitrix! ne sic crucieris ab icu,  
 Quem filii ex obitu nuncia fama dedit.  
 Quod procul à patriâ, carisq; amplexibus, illi  
 Tam festi natæ mortis aperta via est.  
 Hæc lex virtutis, patriâ quæ sede morari  
 Nescia, vel longas necere in orbe moras.  
 Ponite corde boni lessus, secludite planctus,  
 Areat & vestris lacryma fusa genis.  
 Ille ratam fati vixit legem, quam nulla  
 Tollere fraus, nec uis protrahere ulla potest.  
 Nunc vitâ, quæ vita meret jam ritè vocari  
 Hic fruitur, cuncto quæq; dolore vacat.  
 Denatum nec vos vobis periisse putetis,  
 Qui patri æterno non periisse potest.

*Veteris amicitia monumento apposuit*

*Melchior Sellezky*

*Neofolcu. Pannonia. p. l.*

B 2

noqio

Vivere



Vivere quid lubeat; satis agitur acerbis,  
 Cogitur & quisquis mortis adire viam.  
 Quod nunc RHENIUS, patris o charissima proles!  
 Exemplo tristi comprobat ipse suo.  
 Hunc Japeti gnatum, post tædia multa laborum  
 Debile carnis opus deposuisse juvat.  
 Ergo quid fletis spoliatum lumine corpus,  
 Sangvine conjuncti, cum genitrice, pater.  
 Exemptus vivis conscendit limina cœli,  
 Atq; DEO laudes ore sonante refert.

Daniel à Tarnav,  
 Vratisl. Silesius.

Ad beatè defunctum.

NÆ! dilectus eras Patri, dilectior illi  
 Omnigenum verum qui Pater esse cupit.  
 Ex hoc immundi mundi Te climate, quare,  
 Avocat, & transfert in sua regna poli.  
 Num succensendum Jovæ? num corde sub alto  
 Lugendum, vitæ de meliore statu?  
 Absit! Sic DOMINO visum, bene singula fecit,  
 Et facit, & faciet: laus & honor sit Ei.

Ad Dn. Patrem lugentem.

TE de morte tui fili lugere DAVIDIS  
 Scriptio testatur, VIR REVERENTE, tua.  
 Nimirum descendit non ascendit amoris  
 Insita flamma, velut trita loquela sonat.  
 Verum ceu mœstos alios è codice sacro  
 Solaris, placidè & ferre sinistra jubes.  
 Sic te confirmes; ait, haut lugero, Jehovah,  
 Restituam Gnatum, venero cum Ipse Tibi.

ευχαριςτων

Lipsie adjiciebat

Johannes Crusius  
 Francosteinâ SIL.

Aurea

AVrea cui nebat Lachesis DEA fila, decensq;  
 Cingebat nitidum flore Juventa caput:  
 Hunc soror occidit fatalis tertia trigæ,  
 Dissecuitq; ferâ stamina prima manu.  
 Debetur Mortæ juvenisq; senexq; Tyrannæ,  
 Durus & expectat Navita quemq; Charon.  
 Ergo nec, Juvenis, tibi nigra Proserpina parcit,  
 Nec proprio tellus patria condit agro.  
 Sed cur ferali querimur tua funera voce,  
 Illatus Cœlo regna corusca colis.

Lipsie add.

Jeremias Herbst Grypheburg. Sil.  
 Philosoph. Baccal.

NE plorate, heus! sed lacrymas cōhibete Parentes,  
 In luctu decet & fletibus esse modum.  
 Non obiit, sed tantum abiit, præcessit ad astra,  
 Cum Christo gaudens, gaudia certa suo.  
 In Terra placidè nunc mortua membra quiescunt,  
 Frumenti veluti consita grana jacent.  
 Spiritus in cœlo vivit, quia sancta piorum,  
 Post mortem in celsum se levat aura polum.  
 Ast omnes rursus junget cum fœdere firmo  
 Ipse DEUS, clanger buccina quando poli.

Michael Ribius Francof. SIL.

Bon. Art. Stud.

NON secus atq; viget Vernali tempore in hortis,  
 Et citò languescit, sole cadente rosa.  
 Sic homo, cui florēt vegeta & juvenilior ætas,  
 Cogitur ærotans cras obiisse necem,  
 Et velut in nihilum flores rediguntur, & ille  
 Sic perit & tanquam corporis umbra fugit.  
 Sed quod pulchra DEI patris figmenta subire,  
 Coguntur diræ flebile mortis onus.  
 Primus causa parens quod manducavit in hortis,  
 Arboris invito tristia poma DEO.

B 3

Hinc



Hinc illæ lacrymæ: manant hinc cuncta pericla  
Legibus hinc vati subdita turba sumus.  
Hinc pede mors æquo Regumq; inopumq; tabernas  
Pulsat & extrema hos fata subire jubet.  
Ergo fata manent: omnes abstergite luctus,  
Vobis præfixus terminus, ille mori.

*Sympathia E. faciebat*

*Abrahamus Bucenus Grunbergâ Silesius.*

**O**ccidit ah juvenis RHENISCHIVS ille DAVIDES,  
Musa dole, caussam namq; doloris habes.  
Ille fuit gnatus clari doctiq; parentis,  
Fas ergò est tali condoluisse viro.  
Quæritur ast frustra lachrymando filius ille;  
Concidit immoto numine nam superum,  
Ut melioribus hanc vitam mutaret in æthere,  
Aspiciis vescens Nectare & Ambrosiâ,  
Sat vixit sibi: sat pertristi vixit in Ævo,  
Dum locus omnis habet nil nisi cuncta mala,  
Ad tempus poterat longum invitare quid illum,  
Sanctorum cunctis eminet en precibus,  
Mors vultu in DOMINI: sic mors aditus quoq; sanctis,  
Quo fausto tangunt limina calce Poli.  
Ergo tristitiam quæ te contristat & angit,  
In DOMINUM jacta, Vir Reverende, tuam.  
Nam Tibi cœlestis Genitor natum dedit illum,  
Abstulit ac illum, qui dedit ante DEUS.  
Sat durum, verum vincit patientia cunctum,  
Quicquid sollicito non variare potest.  
Vinces cuncta ferendo æquâ sic mente pericla,  
Hac vice namq; tuam spem probat atq; fidem,  
Tu quem ritè colis cœli terræq; Monarcha,  
Mœsticias super hunc conjice quasq; tuas.

*Fiat! fiat!*

*Lipsia lundeabat*

*Paulus Judex Laubâ.*

Cum

**C**um subito attonitas infandus nuncius aures  
Accidit, hei, vixit mutua cura tua!  
Ille tuus vixit RHENISCHIVS ignis, ut cheu  
ARGENTORATUM vix satis institerat?  
Has lachrimas, hæc mœsta mei monimenta doloris  
(Jusserat hoc pietas officiosa) dedi.  
Ergò tui nunquam fiet mihi copia, rursus,  
Quem Musæ pariles, junxit amor, patria.  
Quot tecum longas gaudebam fallere noctes,  
In solidum æstivos & jugulare dies.  
Unus & ex omni sociorum examine stabas,  
Cui noti lusus, seria cuiq; mea.  
Sic nunc hicce jaces charitum illibata medulla,  
Spes præclara patris, delictum patriæ.  
O spes fallaces! quo nunc cura illa parentum  
Sedula, quo sumptus, in studiisq; labor?  
Et quorsum totas hyemali sydere noctes,  
Ad lichni mecum pervigilasse facem.  
Scilicet ut dicat, tua calcans buitta viator,  
Ah quanta hic patris, cura dolorq; jacet:  
Falce venenat, quem mors fera sustulit cheu,  
Tam procul à patria, tamq; parente procul:  
Cujus & interitu interiit juvenum aurea lampas,  
Cordis & interiit, portio magna mei.  
Non tamen irascor fati, melioraq; vitæ,  
Auspicia ad quæ nunc mors tibi fecit iter;  
Non sanè invideo, sed sortem ploro tuorum,  
Quibus magna animæ pars malè rapta fuit.  
Verum hæc æterni Patris divina voluntas,  
Cui parere pium, sed renuisse nefas.  
RHENISCHIVS interea cineres atq; ossa, beata &  
Nunc anima. ô iterum salve, iterumq; vale;  
Usq; in vivorum dum nos regione beata.  
Conjungas regnans unica Christe salus.  
Illic nulla mali jam te contagia lædunt,  
Sed colis Elisii rura beata soli.

Heic



Heic tibi parca quies, heic sanctæ debita menti  
Otia perpetuo tempore latus ages.  
Tu, nunc sancte, tui pietatem agnosce sodalis  
Te desiderio consequar & lacrymis.  
Assidue ipse meo RHENISCHII habitabis in ore  
Assidue & de Te, carmina mœsta canam.

In tumulum.

Ossa hæc RHENISCHII viridi quem pube juventæ  
Messuit indomitis, mors fera forficibus.  
O nimium juvenem! si vitæ secula spectes,  
O nimium, genii si documenta, virum.

Mæstus posuit,

M. Zacharias Hermannus.



JUVENIS FLORENTISS.  
DAVIDIS  
RHENISCHII  
VRATISL.

PHILOS. ET JURISPRUD.  
STUDIOSI,  
ARGENTORATENSII IN  
ACADEMIA

ANNO ÆT. CLIMACTER. III.  
SAL. MDCXXIV. D. XXI.  
M. AUG. ST. N.

PIE BEATEQUE  
MORTUI,

GRATÆ MEMORIÆ,  
VOTIVOQ. PARENTUM EJUSD.  
SOLATIO

AB AMICIS CONDOLENTIB.

P. P.

ARÆ EXSEQUIALES

Typis Lig. Ducalib.

